AUGUSTINUS

Klosterneuburg, 3. Drittel 12. Jh.

Seite 69r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=383
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

miatis in cleris sed inter medios cleros. quid sit hoc inter medios cleros. Quod quidem si expressius transferretur ex greco. inter medium clerorum diceretur. quod in nullo interpretum legi. Expressa credo. quia tantundem ualet quod dictum est inter medios cleros. Hinc ergo quid mihi uideatur exponam. Sepe hoc uerbum ad aliqua conectenda atque pacanda ne inter se dissideant poni solet. sicut testamentum inter se et populum deo constituente. hoc uerbum scriptura ponit. Nam pro eo quod est in latino inter me et uos. grecus habet inter medium mei et uestrum. Sic de signo circumcisionis cum loquitur deus ad abraham dicens. Erit testamentum inter me et te et omne semen tuum. quod grecus habet inter medium mei et tui. et inter medium seminis tui. Item cum loqueretur ad noe de arcu in nubibus ad signum constituendum. hoc uerbum sepissime repetitur. Et quod habent latini codices inter me et uos. uel inter me et omnem animam uiuam. et si qua ibi talia dicuntur inter [illegible] medium meum et uestrum inuenitur in greco. quod est anameson. Dauid quoque et ionathan signum inter se constituunt ne aliud oppinando dissideant. Et quod latine dicitur inter ambos. inter medium amborum habet grecus eodem uerbo quod est anameson. Optime autem factum est ut hoc loco psalmi huius interpretes nostri non dicerent inter cleros. quod latine locutioni usitatum est sed inter medios cleros tanquam inter medium clerorum. quod potius in greco legitur. et quod dici solet in eis rebus ut dixi. qui inter se debeant habere consensum. Iubet ergo scriptura ut inter medios cleros dormiant. qui uel sunt penne deargentate columbe. uel ex hoc eis prestatur ut sint. Porro si isti cleri duo testamenta significant. quid aliud ammonemur nisi ut ea testamenta inter se consentire non repugnemus. sed intelligendo acquiescamus. nosque simus eorum concordie signum atque documentum. cum alterum aduersus alterum nichil dixisse sentimus. et cum pacifica admiratione quasi extasis saporem monstramus. Cur autem in cleris testamenta intelligantur. cum hoc nomen grecum sit quidem sed testamentum non ita dicatur. hec causa est quia per testamentum datur hereditas que grece appellatur cleronomia. et heres

cleronomos. Cleros autem sors grece dicitur. et sortes ex permissione dei partes hereditatis uocantur que per populos sunt distribute. Unde tribus leui precepta est non habere sortem inter fratres suos. quod ex eorum decimis sustentaretur. Nam et cleros et clericos hinc appellatos puto qui sunt in ecclesiastici ministerii gradibus ordinati. quia matthias sorte electus est. quem primum per apostolos legimus ordinatum. Proinde propter hereditatem que fit testamento tanquam per id quod efficitur id quod efficit nomine clerorum testamenta ipsa significata sunt. quamquam et mihi hinc et alius sensus occurrat. ni fallor ante ponendus. ut cleros multo probabilius ipsas hereditates intelligamus. ut quoniam hereditas ueteris testamenti est. quamuis in umbra significatiua futuri terrena felicitas. hereditas uero noui testamenti est eterna immortalitas. dormire sit inter medios cleros. nec illam iam querere ardenter. et adhuc istam expectare patienter. Nam qui propterea deo seruiunt uel potius propterea seruire nolunt deum querunt in hac uita et in hac terra felicitatem. ablatus est somnus ab eis. et non dormiunt. In flammantibus enim cupiditatibus agitati. in flagitia et facinora propelluntur nec omnino requiescunt desiderando ut acquirant. metuendo ne amittant. Qui autem me audit ait sapientia. inhabitabit in spe et requiescet sine timore. ab omni malignitate. Hoc est quantum mihi uidetur dormire inter medios cleros. id est inter medias hereditates non dum in re. sed tamen in spe celestis ciuitatis habitare. et terrene felicitatis iam cupiditate conquiescere. Cum autem uenerit quod speramus iam non inter duas hereditates requiescemus. sed in noua. uera. cuius ueteris erat umbra regnabimus. Quapropter et si intelligeremus quod dictum est. si dormiatis inter medios cleros tanquam si diceretur si moriamini inter medios cleros. ut istam mortem carnis more suo scriptura dormitionem uocauerit. hec est mors optima. ut in cupiditatum cohibitione a terrenis. et spe celestis hereditatis homo usque in finem perseuerans. diem uite huius ultimum claudat. Sic enim dormientes inter medios cleros. erunt penne columbe deargentate ut tempore quo resurgent rapiantur in nubi